



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 9. De Officio Beatissimæ Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

## CAPVT IX.

*De Officio Beatissima Virginis.*

**C**VM de Parthenij Sodalit̃s differamus officijs, illud minimè prætereundum est, quod commune nomen Officij trito iam omnium sermone veluti proprium sibi vindicauit ab excellentia & præstantia, quod quæ nemo ferè est Fidelium, siue Religiosis astrictus votis degat intra claustra cœnobij, siue liberam agat in sæculo vitam, in Ordine sacro, cælibatu, aut coniugio, siue vir, siue mulier, quin frequenter vsurpet ac Beatæ Matri persoluat. quare minimè omnium negligendum Sodali, qui se totum eius cultui atque obsequio mancipauit. Pensum id est horarum septem Canoniarum, quod sacratissimæ Dei Matris Officium nuncupatur, ad imitationem similitudinemque maioris Officij Domini compositum: cuius quidem Officij maioris obligatione tenentur astricti, quot vel sacris Ordinibus initiati, vel Beneficiis

324 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
beneficijs Ecclesiasticis aucti ac locupleta-  
ti, vel proprio quodam Religiosi status  
instituto ad celebrandas Dei laudes cho-  
ro deputati censentur. Minoris Officij  
Dei Matris quotidie recitandi vinculo  
tenentur ex cōstitutione (cuius initium,  
Ex proximo Lateranensi, an. 1571.) Pij V.  
Pontif. pensionarij, quibus ex Beneficio  
annuatim pensio aliqua est consignata.  
At nemo est Sodalium, qui non se ad  
Dei Matris deprædicandas laudes pro-  
prio Sodalitatis instituto sciat astrictum,  
qui non se illius ob eximia ac quotidia-  
na beneficia pensionarium lubes agno-  
scat, plusque longè tum de acceptis, tum  
de speratis hisce beneficijs optimæ Ma-  
tri debere profiteatur, quàm si quis ei pe-  
cuniarius census penderetur è Benefi-  
cio. Quas ytilitates afferat hæc quoti-  
diana D. Matris Officij recitatio, quæ  
vel rei familiaris emolumenta, vel alia,  
sed præcipuè spiritalia lucra ac commo-  
da, ad animi pacem, tranquillitatem, sa-  
lutemque pertinentia, multis & rationi-  
bus & exemplis probari possit, sed vnum  
alterumue exemplū produxisse fat erit.  
Nar-

Narrat Annalium confector Illustris-  
 simus Baronius, cū auctore Petro Da-  
 miano, eremi Monachos instituēte, Re-  
 ligiosi Gamugensis monasterij ad con-  
 suetas Horas maiores Canonicas Officiū  
 quōtidie Sacratiss. Virginis adiecissent;  
 extitisse Monachum quemdam impro-  
 bae vitæ Gozonem nomine, qui de no-  
 uo hoc, vti aiebat, onere supra D. Bene-  
 dicti Regulas adiecto conquestus ceteris  
 persuaderet illud intermitterent. sed  
 quā id malè verterit consilium, quam-  
 que id diuino Numini displicuerit, plu-  
 rimæ mox in illud cœnobium illatae ca-  
 lamitates, hostium irruptiones, prædo-  
 num direptiones, cædes, rapinæ, clades,  
 incendia, aliaque infortunia docuerunt;  
 quibus nullo præsidio fuit à Monachis  
 implerata atque interposita Imperatoris  
 auctoritas. Verū tantorum malorum  
 causam à Petro Damiano sunt edocti,  
 quòd de suo monasterio Matrem pieta-  
 tiseiecissent, eiusque preces horarias in-  
 termisissent. qua causa cognita ad pri-  
 stinum munus celebrandarum Virginis  
 laudum Officiūque dicendum reuersi,  
 O 7 præ-

Anno Christi  
 1056.

præsentem eius opem senserunt, ab omnibus ijs ærumnis & calamitatibus exempti. Atque hac Petri Damiani tum auctoritate, tum institutione factum est, ut latissimè toto orbe Christiano Occidentalis Ecclesiæ hoc sacratissimæ Virginis Officium propagaretur, nec à monachis modò & clericis, verùm & à laicis viris ac mulieribus hoc quotidianum pensum Deiparæ laudum ac precationum ubique passim exsolueretur.

*Ad annum  
Christi,  
1095.*

Narrat idem Baronius Urbano II. Pontifice cùm belli sacri ad recuperandam Hierosolymam expeditio suscepta est in Concilio Claromontano, cùm, ut erat, difficillima & ancipitis plena periculi videretur expeditio, ad eius optatū felicemque successum placuisse, ut imprimis D. Mater ad conciliandum diuinum Numen adhiberetur, visumque eius præcipuè precibus innitendum, inquit Baronius, quòd sciretur quæque ardua progressura feliciter, quibus B. Mariæ Virginis faueret gratia, & adspiraret auxilium. Egit igitur Urbanus Pontifex, ut horariæ illæ preces ac laudes, quæ vulgò  
Offi-

Officium Dei genitricis appellantur, quæq; apud Monachos Eremitas institutionis Petri Damiani frequentari cœperât, ad clericos quoque traduceretur, & velut appendix Officio diuino maiori connecterentur, vt populo Christiano D. Mater apud filium gratiæ conciliatrix existeret, eiusque præsidio ac patrocínio in tot tantisque discriminibus, quibus tū vrgebatur, præcipuè cõmuniretur. Quod Pontif. ac Concilij institutum tâta est ab omnibus exceptum animi propensione ac pietate, vt non clerici modò, verùm & laici cuiusque sexus, vti dixi, cõditionis, ætatis, hodieq; illud celebrēt haud vulgari animorum fructu, quem abunde restatur experientia. Haud ita pridem PP. Carthusianos easdem preces quotidie dicendas suscepisse, ac Sanctissimam Matrem sui Ordinis Patronã adsciuisse, ibidem adiicitur, & habetur in rebus gestis S. Brunonis. Nam cùm primi illi Carthusiæ Patres vitæ austeritate, loci horrore ac vastitate, rerum omnium egestate, ipsaque paucitate molesta, & aliis ex causis in maximis animorum versarentur

*Apud Suerium 6. Octobr.*

tur angustiis, ipso præsertim absente S. Brunone, quem Urbani II. Põtificis Romæ detinebat auctoritas; astitit inter illos vir quidam senio venerabilis, caluo capite, capillo crispo, quem Petrum Apostolum esse non dubitarunt: qui omnipotentis Dei nomine polliceretur, Sanctissimam Dei Matrem ipsos in illo loco deserto semper conseruaturam, eisque aduocatam & custodem futuram, si in eius honorem horarias preces quotidie persoluerent. quo disparente mira perfusi lætitia, communi consensu Deiparam Ordinis sui Patronam delegerunt. Quæ quàm fideliter promissa præstiterit, ex ipso eius Ordinis integerrimi primæuo rigore ac splendore in hunc usque diem conseruato perspicuum est. Ad idem hoc Officiũ recitandũ, quod reformatum edi curauit Pontif. Pius V. ceteris abrogatis, multiplici fideles Indulgẽtia prouocauit. Sed mihi Sodales pluribus cohortandi non videntur suamet sponte propensissimi. Id potiùs ex me querat, quam sit illud attentione persoluedum, & quæ ad eã parandã tuendamque

at-

attentionē adiumenta sint adhibēda. Optāda sanè sit illa deuotio, quæ à Dei Matris de cælestis nos gloriæ throno spectā-  
tis & audiētis, in precibus nostris intimè  
versantis suprema maiestate non sit alie-  
na, quæ non planè indecōra, sed eius ex-  
imijs laudibus longè quidem inferior,  
vtcumque consentaneā tamen existat,  
quæ Angelorum ac Beatorum choros  
ad easdem laudes nobiscum celebran-  
das de cælo prouocet atque alliciat, quæ  
eximium quendam animi sensum ac ga-  
stium pariat in mentibus nostris, magnā-  
que cælestium solatiorum ac gaudiorum  
copiam afferat. de qua deuotione D. Ber- *Serm. 1. in*  
nardus: Immolantes hostiam laudis iun- *Cantic.*  
gamus sensum verbis, affectum sensui,  
exultationem affectui, grauitatem exul-  
tationi, humilitatem grauitati, liberta-  
tem humilitati; quo liberis purgatæ mē-  
tis passibus procedamus & excedamus  
per inusitatas quasdam affectiones spiri-  
talis lætitiæ, in iubilei amœnitatibus, in  
lumine Dei, in suauitate, in Spiritu san-  
cto. Vbi non affulget cælestis hæc deuo-  
tio, ne desit tamen attentio, laborandum  
est;



330 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
est; psallamus non tantum voce, sed me-  
te præcipuè, psallamus spiritu, mixta-  
que sit vocalis ac mentalis nostra pre-  
catio, quo sine recogitanda sunt myste-  
ria quorum passim in libellis expressæ  
præfiguntur imagines; ad Matutinum  
Annuntiationis, ad Laudes Visitationis,  
ad Primam Virginei partus ac Natiuita-  
tis Domini, ad Tertiam Circumcisionis,  
ad Sextam Epiphaniæ, ad Nonam Puri-  
ficationis & Oblationis Christi in tem-  
plo, ad Vesperas Fugæ in Ægyptum, & re-  
liquæ eius omnis cum Deo filio familia-  
ris consuetudinis ad vsque vitæ finem,  
dum & illum tota Palæstina deferentem  
Euangelium affectatur, & morienti ad  
eius crucis pedem assistit; ad Completo-  
rium orbitatis eius à Christi ascensu,  
Obitus ac gloriosæ in cælum Assumptio-  
nis. Quæ mysteria totidem sunt eximia  
Dei paræ gaudia, etsi plerumque magnis  
permixta mœroribus: ac commodè pos-  
sunt ad has septenas Horas aptari ac cõ-  
memorari mente præcipua septem gau-  
dia, septemque mœrores vulgò notissi-  
mi. Aut si cui magis probetur mentem  
suam

suam in sacrosanctis Passionis Christi Domini mysterijs occupare, sumat illa ipsa quæ ad maiores Horas Canonicas adhiberi solent, quæ Glossa in cap. i. de celebratione Missarum, his versibus magis ad pietatem quàm ad artem & elegantiam factis complexa est:

*Hæc sunt septenas propter quæ psallimus Ho-  
ras.*

*Matutina ligat Christum, qui crimina  
purgat:*

*Prima replet sputis, causam dat Tertia  
mortis:*

*Sexta cruci nequit: latus eius Nona biper-  
tit:*

*Vespera deponit: tumulo Completa repo-  
nit.*

Fuit hæc Petro Fabro primo sociorum Orland. l. 3.  
histor. n. 35. B. Ignatij valdè familiaris attentionis comparandæ ratio, cùm in inchoandis ac decurrendis Horis mentem in Christi Domini cruciatibus ac passionis articulis defigeret, & vt psallendo progrediebatur, ita recolendis eius acerbioribus pœnis procederet: intendebantur enim Christi dolores, quo propiùs ad vitæ  
ver-

vergebat exitum; quare sibi quoque Faber attentionem censebat intendendam. Quæ ratio in D. Matris Officio mœroribusque præcipuè valet, cum filij morte minimè finiti sint illi mœrores, sed aucti, & quæ feralis lancea filij iam mortui latus nihil sentientis aperuit, eadem viuum matris pectus animamque in filij latentè corde transfoderit ac penetrarit.

Consuerat idem Faber ad singulas orandi Canonicas Horas subinde decies augustissima Iesu & Mariæ Matris appellare nomina; vt decem hæc in memoriam sibi redigeret, & inter psallendum spectanda proponeret: vnã Dei gloriã: deinde Sanctorum honorem: incrementa iustorum: postea liberationem eorũ, qui noxis tenerentur impliciti mortiferis: ad hæc rei Catholicæ fideique progressionem: mutuam inter Principes Catholicos pacem & concordiam: denique leuationẽ eorum quos ea ipsa hora dolor aliquis conficeret, vel animæ vehementior sollicitudo exederet, vel imminentis mortis horror inuaderet, aut purgatorius apud inferos ignis expiaret.

Hæc

Hæc illa decem ad Horæ cuiusque Canonice pensum sanctè recolebat, alienisque cogitationibus omnibus aditum præcludebat. Denique qua crebra Pater utebatur ad spiratione, Pater cælestis, da nobis spiritum bonum; eadem ad misericordie Matrem licebit uti Sodali, ut eum spiritum obtineat à filio. Contrahi quoque potest hic numerus ad pauciora capita, quæ sibi quisque delegerit in preceptione proponenda, & septies quinquies dumtaxat sacratissima Iesu & Mariæ matris implorare vocabula. Apud nonnullos in vsu est S. Bonauenturæ Psalterium, quod est omni pietatis sensu refertissimum, sed tamen Ecclesiæ preces longè ceteris precandi formulis anteponendæ sunt. Alij breuiori quodam Officio Conceptionis immaculatæ magis oblectantur atque afficiuntur, quos non improbo: magnam enim illi Officio gratiã cõciliat breuitas & mysterij dignitas, & fratris nostri Alphonsi Rodriguez auctoritas; sed ijs auctor sim ut in oratione ad illa verba (Conceptionem tuam recolo) alias quoque Deiparæ festiui-

stiu-

stiuitates ac vitæ partes adiiciant in hūc modum: Natiuitatem, Præsentationem, Annuntiationem, Visitationem, Virgineum partum, Purificationem, Stationem ad crucem, Assumptionem ac Coronationem recolo. De Litanis, Hymnis, Antiphonis vulgò notis dicere supersedeo.

## C A P V T X.

*De quotidiano Missæ sacrificio.*

**N**Vllum planè Sodalis Parthenius officium Deiparæ honoris causa potest obire, quod æquè Patronæ suæ gratum sit & acceptum, vel animæ suæ fructuosum atque salutare, ac si quotidie sacro Missæ sacrificio cum sensu pietatis intersit: quod & lex sexta Sodalitatis facere eum iubet, & benignè prouocat à Gregorio XIII. centum dierum Indulgentia proposita. Nullum inquam hoc officio religionis aut præstantius aut salutarius, aut Deiparæ Saluatorique filio acceptius & honorificentius existit.

quod